



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Otho Truchsius n. 5

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

lib. 5. num. 178. Et postea n. 179. dicitur, quod rursus à legatione sua Commendonus Lambertum Moguntia reddidit, ipseque Coloniam profectus, Societatem Archiepiscopo, & Senatui enixè commendavit, affirmans, Nescire ipsos quantum haberent Thesaurum: & Romam scripsit, Ideo minus placuisse sibi Colonienfes, quod Societatem recipere, certumque ei domicilium, ac Templum tribuere cunctarentur: Sic socij, sic Societas commendabatur à Commendano.

Ut Thesaurus a fili-  
manda.

Iterum in  
Canisio  
commen-  
datur.

5. AB OTHONE TRUCHSESIO Cardinali Augustano, cuius in Societatem, & socios animi propensio vix credi potest: Nec omiti fas duxerim insignem eius aduersus Canisium nostrum pietatem. Ex Alsatia redeuntem exceptum Dilingæ non modo omni honore, ac benignitate tractavit, sed etiam voluit vel inuito manibus suis lauare pedes, & in eo Societatis. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 11.

Et in Lai-  
nio Gene-  
rali.

Mortuo Generali Lainio idem Cardinalis Augustanus cum exequijs honorificis honestavit, in ijsque quas ei apparatu magnifico celebravit Dilingæ Cenotaphium non pulla veste (vt mos est) sed purpurea insterni iussit: quod tanti viri memoriam (vt aiebat) non luctu, sed gaudio prosequi, æquum esset. Cumque laudationem funebrem adiici voluisset, vbi Orator finem dicendi fecit, protinus ipsemet Cardinalis è suo solo fari exorsus in magna ciuium frequentia, inter cetera, Verissima sunt (inquit) quæ commemoravit Orator, sed prætermisit haud pauca. Tria ergo superaddam, quæ gesta sunt mecum. Discessuro in Galliam cum equum generosum, atque percommodum ei obtulissem, perPELLI bonus Pater vt vteretur, nunquam potuit, atque eius verba hæc erant: Equus quidem optimus est, sed pauperi aptus non est. Deinde cum à Paulo IV. in Cardinalium Collegium coaptandus, ad me adiit lacrymantibus oculis; instititque vt ad summum Pontificem intercederem, & nihil intentatum relinquerem. Quod si illi certum esset perstare in sententia, sibi quoque certum esse fugam arripere, atque abdere sese.

De quo  
Pontifice  
creando  
agitur.

His postremo adiecit Cardinalis, de subita à Cardinalium Conclauis fuga, vbi inaudiit de summo honore sibi demandando quosdam agere.

Ita

Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. n. 206. Nontamen hæc Laini fuga (scribitur Ibidem lib. 3. n. 47.) Cardinalium consilia repente discussit, sed duodecim è grauisissimis iam ad summum illi honorem demandandum consenserant, haud incepto facile desituri, nisi vel sanctiones reueriti essent, vel inueterata iam exempla non aliunde Pontificem, quam è sacro Collegio assumendi. Hæc Otho in exequijs relatis publicè prædicauit. Sic tantus Cardinalis Societatis filios honorabat, quid Matrem Societatem?

Per Italiam extraque sparsi libelli famosi contra Societatem: illico gestientes arripiunt Heretici; Germanicè vertunt, quam possunt latissime fundunt: ad Imperatorem Maximilianum, ad alios Principes, & præ ceteris ad Othonem nostrum Cardin. Augustanum, tum Augusta agentem peruenierunt, is rei indignitate, communiq; detrimento commotus, quid stragis ea sceditas in Germania edat, quam Catholicis vniuersis à Patrum maxime doctrina pendentibus fracti animi, hereticis vero quam inflammati sint, Pontificem edocet, hortaturque, vt mature Apostolica ope succurrat. Pontifex id vt cognouit, vehementer excanduit. Auctorem libellorū muneris, cui ante præerat, administratione priuat, & sportula, que è Pontificio penu dabatur: iubet comprehendere, darique in vincula, ac seuerè puniri. Nec sane graue effugisset supplicium, nisi adnitente summo studio Societate. Ita Ibid. lib. 8. num. 33. Et ita per Cardin. Othonem fama, & innocentia Societatis restituta. Et tandem Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. num. 51. proponitur eiusdem Othonis Card. erga Societatem ingens studium his verbis: Haud enim se aliter vnquam tulit, atque vnum è numero Sociorum. Non Dilinganam solum Academiam Societati tradidit, plurimumque de Collegio Augustæ statuendo certauit, atque vbiq; usus fuit singularia Officia præstitit; Sed plane cura, sollicitudine, letitia, mærore nihilo secus, atque sua in re, in prospero aduersove statu nostro commouebatur. Hæc ibi Sachinus.

6. A FRAN. MARIA TAVRVVSIO etiam Archiep. Senensi, qui in testimonio de sanctitate, ac miraculis S.P.N. Ignatij, sic ait: Omnibus, & singulis has nostras literas lecturis salutem in Domino. Beatus vir Ignatius Loyola Societatis IESV fundator

Defensa  
contra li-  
bellarios  
Societas

Cuius in-  
fama quã  
pernitiosa  
Catholicis,  
& oppor-  
tuna He-  
reticis.

Othonis  
Cardin.  
erga Socie-  
tatem stu-  
dium.

Et Taurusij  
celebre te-  
stimoniũ de  
sanctitate  
Ignatij, &  
filiorum.